



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

Festum SS. Corporis Christi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

rium hoc claudamus, cor nostrum. Aut enim hoc, aut nihil capit DEVM.

*Quemadmodum reliquis omnibus membris caput anteponis, & cetera membra objicis, ut ictum à capite avertas; ita Sancta & ejusdem essentia Trinitatis fidem, sine qua vitâ, quæ verè vita sit, vivere nemo potest, rebus omnibus antepone. S. Ephrem in Vit. rect. rat.*

## FESTUM SS. CORPORIS CHRISTI.

Iuvat pompæ, quam omnis hodie orbis Christianus ducit, exordia paucis denarrare. Virgo fuit non procul Leodio; nomen virgini Juliana. Hæc dum cælos, quos animo jam habitabat, oculis etiam obambulat, novam Lunam aspicit, à quâ altera lubens lucem suam mendicaret: pleno tamen incremento aliquid restare videbatur. Subinde audit Ecclesiam hanc esse Christi sponsam, cui porrò ad decoris supplementum nihil deesset, quàm ut sponsum suum sub pane latitantem festo die, & pompâ celebraret. Et verò ad hoc operam Julianæ cælum expetere. Diu linguam Virginis modestia ligatam tenuit, dum amor denique solvit, & detegere visum, cum aliis, tum è Canonicorum collegio uni suavit. Is tunc Jo. Lanfenna post Pont. Urbanus IV. fuit. Et fortè dum hic ad clavum Ecclesiæ sedet, Bolsenæ Sacerdotis sacrificantis mentem dubitatio subiit de Numinis in S. Eucharistiâ præsentia. Vulneravit hæc perfidia Christum. Nam præterquàm quòd remoto panis velo, in conspectum se dedit, scatere sanguine calix, & effundere se hic in aræ linthea visus est. Tum verò Urbano Pont. jubente miraculum hoc per urbem illam est circumlatum; jamque urbem

unam omnis orbis æmulatur. Rectè porrò nos faciemus, si in ferculum DEO nostro non aurum, aut argentum modò, sed quod magis amat, oculos, linguam, pectus, cor adeò commodabimus. *Ex hist. revel. Inst. vener. Sacram.*

*Christiane, qui se hìc tibi manducandum dedit, quid tibi denegare poterit in futurum? & qui tantum tibi viaticum paravit ad victum, quid in illa mansione perpetua non paravit? Manducabitis in Mensa mea: audisti Dei convivium; sollicitus non sis de qualitate convivii. S. Pet. Chrysf. 95.*

### FESTUM S. ANGELI CUSTODIS.

**D**A mihi Arge, ò Angele mi, da pennam vel unam è tuis, quâ laudes tuas scribam. Sed ò! unde incipiam? ubi desinam? Nondum natus eram, & tamen jam latus stipabas meum, ò Custos unice! Infanti sinum, puero manum dedisti, ò Pædagoge amantissime! Tu verba formare, & nunc Patrem in cælis JESUM, nunc Matrem MARIAM clamare, tu nunc artes humaniores, nunc severiores docuisti, ò Doctor fidissime! Tu in bivio vitæ dubio viam Mercurius monstraisti, præiisti, duxisti, insidias detexisti, in hospitium ò quale introduxisti, dux fidissime! Sed vin' compendium tuarum dem laudum? morituro quotidie aurem vellicas: irati judæis timere vultum doces: mones præcipitia infera cavere, cæli ardua digito ostendis, ad hæc expetenda cogitationibus animum adhortaris, & fatigatum manu ducis, succumbentem portas, ægrum foves, impugnatam propugnas. Illud quantum est; quòd, nisi ego te vivus, tu etiam mortuum non es deserturus. O mi